



**Antonii Milliei, Lvgdvnensis, E Societate Iesv, Moyses  
Viator**

**Millieu, Antoine**

**Lugduni, 1636**

Eminentissimo, Et Reverendissimo Domino, D. Alphonso Lvдовico  
Dvplessis De Richeliev, S. R. E. Cardinali, Archiepiscopo Lvgdvnensi,  
Galliarum Primati, Summo Sacrarum Largitionum Curatori, Antonius ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69066](#)

EMINENTISSIMO,  
ET REVERENDISSIMO  
DOMINO,

D. ALPHONSO  
**LVDOVICO**  
**DVPLESSIS**  
DE RICHELIEV,

S. R. E. CARDINALI, ARCHIE-  
PISCOPO LVGDVNENSI, GALLIA-  
rum Primi, Summo Sacrarum  
Largitionum Curatori,

ANTONIVS MILLIEVS, è Soc.  
IESV, D. D.



ON audet VIATOR hic MOSES,  
CARDINALIS EMINENTISSIME, dare se in viam, lon-  
gam sanè ac laboriosam, pericu-  
lisque plurimis, ut olim præsensit,  
obfessam, sine idoneo, tutoque cōmeatu. Quem  
† 2 - cūm

cùm ab Ægyptio Pharaone intimis propè pre-  
cibus frustrà postulasset in triduum ; meminit  
sibi paulò pòst à Deo singulari prouidentiâ, mu-  
nificentiaque supra humanam fidem memor-  
abili, in annos vix quadraginta concessum. Nunc  
ille igitur veterum periculorum memor, quæ  
tam longo itinere adiit, peregrinaturus iterum,  
sed in hoc poëtico nouo schemate, tutelaris il-  
lius Angeli, qui viam sibi præibat in Columnâ,  
memoriam reuocat, cuius in eximiâ tuâ huma-  
nitate, tanquam in cœlestis alicuius Genij pro-  
pensiissimâ in tuos omnes tutelâ, suspicit, ac ve-  
neratur imaginem. Hinc illi spes altera secun-  
di istius, quem supplex orat, commeatus. Hinc,  
Lugduno tuo, vbi viuis, & spiras in tot millium  
deuotissimorum tibi capitum pectoribus, Alpes  
superat, maria traicit affectibus alatus animo-  
rum, elatúsque, quos singularis tuæ fiducia faci-  
litatis euexit, tuis vt genibus aduolutus enixè  
deprecetur, vti sibi liceat inire viâ spectatissimo  
tuo Nomine præmunito, tibique solenniter D.  
dicato; & , si Eminentiam tuam eosque de-  
mittere consueta dignatur humanitas, etiam  
adoptione tuo. Causæ illi tanti fauoris petendi,  
sperandique, abs te uno omnes. Primùm enim  
profitetur ingenuè Scriptorē suum solitudine  
tuâ, curaque vix credibili recuperatum è mortis  
faucibus, quibus decretoriis illum, medicorum  
iudicio,

iudicio, morbus obiecerat depositum ; quem, ut  
illi praesenti, conspectuque tuæ Eminentia, tan-  
quam odoriferâ aliquâ Panacea, spem vitæ affla-  
res, conuisebas, & hortabaris nimis tu quidem  
humaniter. Spiritum verò si quæ præsefert Mu-  
sæum VIATOR Moyses in hoc iam decli-  
ui lapsu flectentis ad capulum, sicut ad metas  
ætatis, tuo afflatu, impulsuque haussisse testatur.  
*Nam, quis nunc tandem, nisi tu me, ALPHONSE,*  
*moueres.*

*Sic animi, rerumque inopem, gelidumque senecta*  
*Rursus in Aonios posset propellere saltus?*  
*Extrusum longè Pindo, probrisque repulsum*  
*Fontibus arcerent Musæ; nunc fortè verentes*  
*AUSPICIS impulsus TANTI, nutuque iubentem,*  
*GLORIA PLESSÆ QVEM PURPURAT*

ALTERA GENTIS,

*Abstineant; placidæq; velint audire canentem*  
*Prodigiis domitam Memphis, Regisque superbi*  
*Duritiam obtritam plagis.*

Sic enim debueram, & maluisse ordiri maiore  
aliquo clarissimi tui totâ Europâ Nominis ambi-  
tu, nisi me supra modum pudens, & modestus,  
tuique in eo persimilis Moses iste tuus vetus-  
set; qui ex modestissimi tui Genij sensu hone-  
stissimæ, clarissimæque inter suos frontis radia-  
tum iubar flammeo premit in publico, quo tamè  
Cherubinis æmulus splendoribus, Deo corâ ful-

† 3 get

get in Adyto. Tu a certe gratia est, CARDINALIS  
EMINENTISSIME, quod iam biennio molestis  
ferè omnibus exsolutus curis, ac præsertim illâ  
*diei malitiâ* liber, quâ laborant gemuntque in  
religiosis etiam Ordinibus Patresfamiliâs, non  
nullo fruor otio; non illâ quidem amœnitate,  
silentioque secessus, quem Musæ postulant illæ  
admirabilitatem, æternitatémque suorum Ope-  
rum scrupulis in antris toto attonitæ Phœbo au-  
cupantes; sed quem vrbanae istæ tuæ Camœ-  
næ Virgines, solitudine etiam monastica, clau-  
strique silentio gaudentes, mihi præstiterunt,  
in religiosâ cellulâ ad præterfluentis ripam  
Rhodani, & importunum celeusma remigum,  
consuetis tamen, & frequentibus officiis, quæ  
tuo maxime Nominé, causâque illis debo, in-  
terpellatum. Quod eò dico, ne mireris balbu-  
tientem adhuc istum Moysem, neque dum elo-  
quentem ab heri, & nudius tertius. Illo igitur  
otio per te mihi concessò benè, an secùs vsus  
sim, tuæ sapientiæ, & æquitatis, penes quam  
ius est hoc omne, iudicium esto; illud tibi con-  
stet modò, nihil à me interim operæ, quam qui-  
dem sacris Parthenonibus istis tuis nauare po-  
tuerim, defuisse. Subcesiuis, quas mihi relique-  
runt, horis ita sum vsus, ex quo Lugdunum in  
Iucu, desiderioque tui reliquisti, ut hunc tibi  
Viatorē munus adornarem, Romamque mit-  
terem,

terem, priusquam peregrinetur longius, non magis commeatus à tuâ Eminentia necessarij pendi gratiâ, quam pietatis in illam meæ, obseruantiaz, obsequiique testificandi causâ. Nunc ille iterum, sicut Infans olim, opinionu fluctibus in papyracea fiscellâ exponendus, quia celari amplius non potest, eget occursu, totoque sinutuæ humanitatis, sicut ille alias in mollissimos Reginæ sensus incidit, quæ fluctuantem in papyro sustulit, & humanissimè suscepit infantem. Quam isti nunc humanitatē promittere videtur mista tua, temperatâque, ac velut diluta animi, morumque cädore purpura verè regia, Regique Christianissimo hoc etiam gratissima colore; humanitatis *vincita canalibus*, ut deriuetur, & effundatur in tenuissimos quosque, per mollissimos aditus, quos illis ad Eminentiam tuam singulari facilitate sternis. Sed illa iam dudu abutitur balbutiens iste Moses, & ineptissimè peccat in publica totius Orbis Christiani commoda, & Galliaz maximè negotia maxima, quorum prospero successu ex sapientiaz tuæ consiliis ductuque sperato dolorem, desideriumque publicum lenit, ac sustinet, quæ tui in omnium animis perperit, ac nutrit absentia. Quare ne Cubicularius aliquis illum seueriore supercilie è Patrum Purpuratorum confessu tuis pedibus auellat, extrudatque, velut importunum, nec satis pro vrb-

† 4 no

no illo nitore, deliciisque Romanis cultum ; sed  
in hoc viatorio petaso puluerulentum, secat cæ-  
tera , quæ ad eblandiendam sibi tuam gratiam,  
de summis vestri stemmatis virtutibus , de tuis  
publicis , priuatisque de more attingere debue-  
rat, ne rusticulus existimetur in aulâ tam politâ,  
continuatâ tot sœculis vrbanitate : facit tamen  
non parum sapienter, quod neque tam multa  
carptim attingere , neque tam diffusa strictim  
complecti audet, ne colosso in vnguiculo mo-  
liri voluisse videatur. Si vnam, aut alteram reci-  
tationis horam abs te aliquando impetrarit, sine  
vetere illâ Romæ vſitatâ comportandis cathe-  
dris ambitiosâ Poëtis Musopatagis Orchestrâ,  
tacitè tibi te legenti ostendet in Mosis veteris  
eminentissimâ in solitudine , & in publico phi-  
losophiâ, & moribus, Pastoritia , Pontificiaque  
virtute, & vigilantiâ; & in Aaronis pectore, gem-  
meoque textu tibi exhibebit; cuius mores & vi-  
ta, ad illius mystici ornatus typos, huic tuo Via-  
tori Moysi poëticam ideam conformarunt. Ut  
igitur ille nunc tuæ modestiæ , pudorique silen-  
do parcit , ita tua Eminentia fauore suo iudi-  
cioneque hanc illi viam fortunare velit : sic te  
Deus in plurimos annos Ecclesiæ suæ , Galliæ-  
que vniuersæ fospitare.

ÆQVO